Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Nuclei evangelici pars festivalis

Trautmann, Samuel

Wittebergae, 1664

Oraculum sacrum LII.

urn:nbn:de:bsz:31-160375

Visual Library

Von Sünden machte frey/und durch
ſein theures Bluth
Erlöſte von dem Tod und von der
Höllen-Gluth.

Ex Matth. XVIII, 2.3.4.5.
*Eſt humilis, ſimplex, inſons, & credulus infans:*
*Sic qvoq; ſis infans ſimplicitate, fide.*

# ORACULUM SACRUM LII.

*1. Pet. II, 1. & 2.*

*TEXTUS GRÆCUS SACER.*

Ἀποθέμενοι οὖν πᾶσαν κακίαν καὶ πάντα δόλον, καὶ ὑποκρίσειν, καὶ φθόνους, καὶ πάσας καταλαλίας ὡς ἀρτιγέννητα βρέφη, τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα ἐπιποθήσατε, ἵνα ἐν αὐτῷ αὐξηθῆτε.

*Verſio vulgata.*

Deponentes igitur omnem malitiam & omnem dolum, & ſimulationes & invidias, & detractiones, ſicut modò geniti infantes, rationabiles & ſine dolo lac concupiſcite, ut in eo creſcatis.

*Verſio B. LUTHERI.*

So leget nun ab alle Boßheit/und
allen

allen Betrug und Heucheley/und Neyd und alles Affterreden/ und ſeyd gierig nach der Vernünfftigen lautern Milch/ als die itzt gebohrnen Kindlein/ auff daß ihr durch dieſelbige zunehmet.

N O T Æ.

1. Petrus h. l. hortatur pios ut omnem malitiam, dolum, ſimulationes & invidias deponant. E. hominis renati poſſunt excidere gratiâ DEi *contra Anabaptiſtas, qvorum veſtigia legunt Calviniani.* Vid. Piſcator volum. 1. Loc. 12. theſ. 37. & diſput. contra Schaffm. th. 173 Zanch. T. 1. à f. 114. ad f. 219. Beza in Act. p. 68. & ſeqq. & Volum 2. f. 17. Bucan. p. 305. q. 27. Sed hunc errorem ſupra obeliſcô notavi in enucleat. oraculi ſacri III. notæ 3. Nolo igitur heic actum agere.

2. Qvamvis Apoſtolus h. l. omnem malitiam & omnem dolum deponere jubeat, tamen exinde non ſeqvitur hominem in hac vita eſſe poſſe perfectum & abſq; omni malita. Nam à præcepto ad poſſe in divinis non valet conſeqventia. Qvamvis igitur exuberans malitiæ abundantia poſſit deponi, uti hunc locum explicat Jacobus cap. I, 21. tamen vitioſa ejus radix in hac vita manet *contra Perfectiſtas exiſtiman-*

*ſtimantes hominem in hac vita eſſe poſſe ſine peccato qvales Patroni perfectionis ſunt Pelagiani, Pontificii, Swencfeldiani & cumprimis Sociniani.* Sic enim Smalcius contra Franz p.137. contradicit *eò perfectionis hominem pervenire poſſe in hac vita ut nunqvam peccet.* Et p.180. *Aut ſemper,* inqvit *ab ineunte ætate homines qvidam ſe ita gerunt, ut peccati nullius habitum contrahant: Aut ſunt qvi poſt ſuam ad DEum vel ad Chriſtum converſionem tales eſſe incipiunt, ut peccati nullius habitu implicati ſint.* Horum callem premunt REMONSTRANTES, *qvi non modo ſine peccato actuali, ſed ſine omni peccato hominem eſſe poſſe in hac vita, omnemq; habitum peccati planè exuere contendunt, imò adſerunt hominem ita ſine peccato eſſe poſſe in hac vita ut planè etiam ſit ſine omni lucta carnis & Spiritus.* Vid. Apol. c. XI. f. 127. 130. & ſeqq.

3. Petrus h. l. renatos jubet imitari ἀρτιγέννητα βρέφη, exinde tamen omnimoda & abſoluta infantum perfectio non poteſt inferri. Nam Apoſtolus his verbis reſpicit ad certas qvasdam infantum virtutes, & vult ut renati eas imitentur, & talis ſint infantes, *qvi habent puerilem ſimplicitatem & indubitatum adſenſum,* uti loqvitur Iſidorus Peluſiota lib. 5. Epiſt. 440. *contra eosdem & cumprimis Socinum, qvi à pec-*

*cato-*

*catorum Catalogo ſeqveſtrat infantes* lib. de ſtat. primi hom. cap. X. p. 321. & *Smalcium contra Franz. p. 46.*

Nec eſt qvod adverſarii hunc in modum excipiant:

Infantum ſangvis eſt innocens Pſ. CVI, 38. neq; bonum neq; malum ipſi fecernnt, ut de Jacobo & Eſavo Paulus loqvitur Rom. IX, 21.

E. infantes non naſcuntur cum peccato. Nam antecedens non eſt ſimpliciter verum. Infantes non ſunt abſolutè innocentes, ſed tantum certò reſpectu, qvatenus actuali peccatô non ſunt meriti violentam mortem ab hominibus infligendam, de qva Pſaltes loqvitur. Breviter: Infantes ſunt innocentes non in foro poli & coram DEo, apud qvem nemo innocens Exod. XXXIV, 7. ſed in foro ſoli & coram hominibus. *Qvo ſenſu & in Diſticho ſupra adnotato infantes inſontes vel innocentes dixi.*

4. In Græco eſt τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα. Hinc rectè Ben. Arias Montanus: rationabile ſine dolo lac concupiſcite *contra qvosdam Codices Latinos, qvi legunt rationabiles ut ad ipſos concupiſcentes hoc referant*, qvem errorem etiam Sixtina editio correxit.

5. Non autem intelligitur per τὸ λογικὸν uſus rationis in rebus divinis, ſed τὸ λόγου γάλα, lac

λα, lac verbi, ſive Evangelii doctrina, qvem ſenſum Syrus rectè expreſſit: *Concupiſcite ipſum ſermonem tanqvam lac mundum & ſpirituale. contra Socinianos & cumprimis Smalcium qvi locô præſente abutitur & ex colligit, nihil eſſe credendum qvod rationi adverſetur* Vid. Smalc. Diſput. Poſter. contra Auguſt. Confeſſ. Franzii p. 421.

6. Nec per τὸ γάλα h. l. intelliguntur virtutes Chriſtianæ, ſed, ut modò dictum, doctrina Evangelii, qvæ comparatur *1. ob puritatem*, Lac maternum eſt purum nihilq; alieni habet admixtum: Ita verbum Evangelii purum eſt & immaculatum Pſ. XIX, 8. *2. Ob ſvavitatem* Lacte maternô nihil eſt ſvavius: Ita doctrinâ Evangelii nihil eſt ſvavius, dulcior ea eſt ſuper mel ori noſtro Pſ. CXIX, 103. *3. ob multiplicem utilitatem.* Lac nutrit corpus: Ita doctrina Evangelii nutit animam. Poſſumus enim *in ea* i.e. *per eam, juxta uſitatum Ebraiſmum creſcere*, teſte h. l. Apoſtolo. Conf. Eſa. XXXVIII. 16. Matth. IV, 4. Lac mundat corpus: Ita doctrina Evangelii mundat animas noſtras Joh. XV, 3 Pſ. LI, 9. Lac infantibus ſomnum conciliat: Ita doctrina Evangelii mentem qvietam reddit Matth. X, 30. Rom. V, 1. *Contra Cornelium à Lapide, qvi è loco præſente merita operum colligit, & ver-*

*verſionem vulgatam urget, qvæ legit προσδιο-σμὸν ad ſalutem, qvi tamen in fontibus non occurrit.* Sed audiamus nunc

## ORTHODOXÆ ANTIQVITATIS SENTENTIAM

### *I. Qvod infantum virtutes ſint imitandæ.*

Imitemur infantes, qvi patrem ſeqvuntur: matrem amant: velle malum neſciunt: curam operum negligunt: non inſoleſcunt: non oderunt: non mentiuntur: dictis credunt, & qvod audiunt verum habent *Hilarius in cap. 8. Matth.*

### *II. Qvòd malitia ſit deponenda.*

Qvid eſt malitia, niſi nocendi amor? qvid dolus niſi aliud agere, aliud ſimulare? qvid adulatio, niſi fallaci laude ſeductio? qvid invidia, niſi odium felicitatis alienæ? qvid detractio, niſi mordacior qvàm veracior reprehenſio? Malitia malô delectatur alienô. Invidia bonô cruciatur alienô. Dolus duplicat adulatio lingvam detractio vulnerat famam *Aug. lib. 5. Homil. hom. 20.*

Nullum gravius eſt onus, qvam peccatorum ſarcina & pondus flagitiorum. Deprimit animam, curvatusq; ad terram, ne ſe erigere

gere poſſit, *Ambroſius T. 2. f. 322. ad Horantianum.*

## III. *Qvòd doctrina Evangelii lacte ſit dulcior & ſemper appetenda.*

Nihil certè qvod melius nutriat, neq; qvod ſit dulcius lacte, nec qvod candidius lacte inveneris. Eſt id itaq; omni ex parte ſpirituali nutrimento ſimile, qvod eſt qvidem dulce propter gratiam, nutriens autem tanqvam vita, candidum autem ut dies Chriſti & Sangvinem Verbi oſtenſum eſt eſſe tanqvam lac *Clement Alexandr. lic. 1. Pedagog. cap. 6.*

A lacte non ſeparaberis, qvoadusq; ſuper matrem tuam es, ne prius fame moriaris, anteq. panem manducare ſis idoneus. Qvi manducant ſolidum cibum videntur eſſe perfecti, qvia intelligunt æqvalitatem verbi cum patre. Adhuc non ſic vident qvomodo videndum eſt, facie ad faciem, adhuc ex parte in ænigmate, *Auguſtinus in Pſ. 130.*

Sermo Dei in cauſam vitæ appetendus, auditu devorandus, intellectu ruminandus, fide digerendus *Tertull. lib. de Reſurr. carnis.*

**Gleich wie die Kinderlein dahin in einfalt gehen /**
**Und gläuben leichtlich das / ſo ſie doch nicht verſtehen:** So

So ſoll ein jeder Chriſt mit Glauben
nehmen an/
Was ſonſten die Veruunfft gantz
nicht begreiffen kan.

Ex v. 6.

*Infantes credunt: infantibus aula miniſtrat
Cœlica. Qvis tales deſpiceret pueros.*

## ORACULUM SACRUM. LIII.

*Luc. XVIII, 16.*

TEXTUS GRÆCUS SACER.

Ὁ δὲ Ἰησοῦς προσκαλεσάμενος τὰ βρέφη
εἶπεν· Ἄφετε τὰ παιδία ἔρχεσθαι πρός με, καὶ μὴ
κωλύετε αὐτά· τῶν γὰρ τοιούτων ἐστὶν ἡ βασιλεία
τοῦ Θεοῦ.

*Verſio Vulgata.*

JEſus autem convocans illos (infantes) dixit: Sinite pueros venire ad me & nolite vetare eos. Talium eſt enim regnum DEi.

*Verſio* B. LUTHERI.

Aber JEſus rieff die Kinder zu ſich/ und ſprach: Laſſet die Kinderlein